



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Natales Sanctorvm Belgii, & eorundem Chronica  
Recapitvatio**

**Molanus, Johannes**

**Dvaci, 1616**

Die decima nona Iulij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9477**

Iulij 18.

3<sup>o</sup>. De sancto Arnoldo citharœdo.

Ex rescripto domini Arnoldi Hisveldi Canonici Coloniae.

**I**N territorio Iuliacensi, pago, Arns-Wiler, na-  
tale sancti ARNOLDI, citharœdi Caroli ma-  
gni, & confessoris. Hunc comperi esse diœcesis  
Coloniensis. Non enim in Wiler apud Falkenbur-  
gum, sed in Iulia obiit; & quiescit in loco qui ab  
eo dicitur Arns-wiler: vbi ab incolis & alijs paga-  
nis, qui eius nemoris quod à Carolo magno im-  
petravit, participes sunt, solenniter celebratur,  
die decima octaua Iulij. Conueniuntque ad fe-  
stum diem processionaliter cum vexillis & cruci-  
bus. Verisimile est tamen ex loci vicinitate eum  
lyricum fuisse in Belgij palatijs, Neomagi & A-  
quisgrani, quibus Carolus summè delectabatur.  
Est autem Arns-wiler Latinis, Arnoldi villare si-  
c ut Brun-wiler est Brun, sive Brunonis villare.

Die decima nona Iulij.

De beato Bernulpho episcopo. Quem  
Berta Bernonem; Henricus III  
Bernoldum nominat.

Ex chronicis Ioannis Becani, & Wilhelmi Hedani.

**T**RAJECTI, memoria beati BERNULPHI e-  
piscopi. Qui primum fuit Pastor Ecclesiae in pago  
Oosterbeeck. Sed ex compromisso Capituli per Conradum  
Augustum, cuius vxor in eius patrochia pepererat, ad va-  
cantis Sedis dignitatem electus est. Quam annis viginti-  
septem in pace gubernauit. Hic ad perennem laudis suæ  
memoriam ædificauit Trajecti Collegiatas ecclesias, vnam  
sancti

sancti Petri, alteram sancti Iohannis præcursoris Domini. Medietatem quoque collegij sancti Saluatoris pro reuerentia beati Lebuini Dauentriam transplantauit; & abbatiam reuerendi patris Aufridi de Monte sancto Traiectum transtulit, vbi conuentualem ecclesiam in honorem sancti Pauli condidit. Ecclesias præterea & loca sacra per dicec-  
sim suam ruinam minantia, in cultum pristinum restituit &  
orauit. In hac itaque tam sancta conuersatione, vsque in  
finem vitæ perseverans, migravit ad Dominum anno millesimo  
quinquagesimoquarto, sepultus in sanctuario eccle-  
siae sancti Petri per ipsum fundatæ: translatus tamen postea  
collocatus est in choro, vbi plurimis claret signis & virtu-  
tibus: quo & mortales plures nostra tempestate confluunt  
salutis gratiâ. Interueniente autem Bernulpho ecclesia  
Traiectensis hæc accepit incrementa. Berta nobilis & in- *Chartas do-*  
genua fœmina caput suum liberum donans, altare sancti *nationum*  
Martini, secum familia subiecit tutelæ Ecclesiæ Traiecten- *habet Guil.*  
sis. Henricus tertius, innicetissimus rex, eidem Ecclesiæ in *Heda, in his*  
qua Conradi Imperatoris patris sui viscera sepeliuit, contu- *stor. Traie-*  
lit. *Vphelte, Wthelte, Pthelo,* quæ Vlffo & frater eius posse- *ctensi M. S.*  
derant in Comitatu *Trente, Lintherwunge & Enon* in Comi-  
tatu Rodolphi inter *Emese & Laneke* fluvios, prædium suum  
in villa Groninga, comitatum Agridiocensem sive Ambal-  
cha, locum *Dauentre* cum Comitatu *Amelande*, & ex-  
spectariam Comitatus qui post obitum Gozlini ducis re-  
giæ ditioni in *Trente* visus est subiacere.

### Die vigesima Iulij.

#### De sancto Vulmaro abate.

*Ex historia descripta, cuius portio est in tomo Surij quarto.*

**I**N Gallijs, pago Bononiensi, monasterio Sil-  
uiaco, natalis sancti Vulmari, confessoris ad-  
mirandæ sanctitatis & religionis viri. Natus est  
in inferioribus Galliæ partibus, in villa Siluiaco,  
ex parentibus Christianis, & iuuenis coniugem  
accepit Historaldam. Quam aliis velut suam *V-*  
*pud* principem Francorum repetijt. Vulmarus  
proinde